

409

5

DISPUTATIO FEVDALIS
SEXTA.

1591
QVOMODO FEVD-
DVM EXTINGVATUR, ET A-
mittatur, & ad quem, illud amissum, reuer-
tatur.

IN QVA,

DEO TRINO ET VNO AV-
SPICE,

Subsequentes Conclusiones,

PRÆSIDE CLARISSIMO
ET DOCTISSIMO DOMINO BENE-
dicto Carpzouio. I. V. D. in Illustri Academia Vvit-
tebergensi, ingenij exercendi gratia, pro virili
defendere conabitur

ELIAS REINHART
SILESIVS.

M. D. XCI.



Ad 18. Septemb.

A M A N T I S S I M I S
E T

F I D I S S I M I S

F R A T R I B V S M E I S

G E R M A N I S, M. S A M V E L I

Reinhart, Illustrissimæ Iuuentutis Electoralis,

in Illustri Aula Brandenburgica Informatori :

nec non LVCAE Reinhart, Reipublicæ

Bregensis Senatori vigilan-
tissimo

H A N C D I S P V T A T I O -

N E M F E V D I S T I C A M S E X T A M


*Sola amoris abundantia inscribo &
consecro*

E L I A S R E I N H A R T.



CONTINUATIO.

I.

 Vandoquidem contrariis iuxta se positis, veritas magis elucescit: ideo cognitis modis, quibus feuda acquiruntur, ipsius materiae ordo et flagitare videtur, ut, quomodo illa vicissim desinant, paucis dispiciamus.

II.

Hoc autem duobus potissimum contingit modis: quando nimirum extinguuntur, & quando amittuntur. Priori modo feuda prorsus esse desinant: posteriori, à Vasalli persona, in aliam saltem transferuntur.

III.

Et quemadmodum mors omnia soluit: ita etiam feuda morte extingui, non est dubitandum. Vasallo quippe sine heredibus mortuo, illa ad Dominum reuertuntur, & sic vsusfructus cum proprietate consolidatur, ut propterea feudum amplius dici haud quaquam possit.

IV.

Idem euenit in refutatione, quæ tam inuito, quam volenti Domino fieri potest, dummodò tempestiuè instituat: Successoribus tamen ea præiudicare nequit.

V.

Rei quoque feudalis interitu, feuda variè extingui, ut & alia res omnes, poterunt. Tantundem etiam de cæteris quibusdam modis, superioribus Disputationibus paulò antè pertractatis, statuendum est.

VI.

Amittuntur feuda propter Feloniam, cuius Causæ, certa Regula, ac definitione rotunda comprehendi non possunt, sed ex naturalibus potius & bonis Curiarum consuetudinibus percipiendæ sunt.

A 2

7. Nam

VII.

Nam quòd alii tradunt, ex istis causis, ex quibus iusta contingit exheredatio, matrimonia rite contracta dissoluantur, donationes iure perfectæ reuocantur, feuda quoque amitti, veritati satis consentaneum non arbitramur.

VIII.

Natura siquidem subinde nouas formas edere deperat: sed si quæ eueniat similis aut maior istis (quod Iudicis arbitrio definiendum relinquitur) quæ à Compilatoribus referuntur, feudum per eam amitti, non est dubitandum.

IX.

Omnes autem, vel Extranei, vel ipsius Domini iniuriam respiciunt: Quoad Extraneum peccat Vasallus, si proditor fiat, fratrem, vel fratris filium interficiat, aut aliter delinquat, ex quo parricida appellari possit: item si incestum committat.

X.

Sed vnde incestus sit definiendus, meritò quis ambigere queat: Verùm enimvero Vasallum, quamdiu matrimonium in gradibus, à Iure diuino & ciuili prohibitis, non contraxerit, feudo priuari nullo modo posse asserimus: Ergo si Consobrinam in vxorem duxerit, à pæna immunis est.

XI.

In Dominum Vasallus delinquit, vel omittendo, vel committendo. Omittendo, si intra legitimum tempus renouationem inuestituræ non petierit, si fidelitatem & seruitia præstare recusauerit, si iustitiam facere Domino noluerit: id quod non de vnico saltem casu, sed generaliter interpretamur.

XII.

Itemq; feudum amittit, si Dominum in acie periclitantur.

tantem deseruerit, cum alioquin ei opem ferre potuisset.
Nam si brachiis abscisis, aut alias grauius vulneratus
subterfugerit, merito excusabitur.

XIII.

Similiter si imminens periculum Domino non denun-
ciauerit, aut vero contra Dominum conspirantes non iu-
dicauerit, eumque iniuste carcere inclusum, cum potuerit,
non liberauerit: quanquam propter aes alienum incarce-
ratum, de suo soluendo, ~~non~~ minime liberare teneatur.

XIV.

Delicta commissionis, grauiora, praedictis videntur:
siquidem illa proprie, ex sui natura, non possunt dici deli-
cta: nihilominus tamen, iure ita disponente, pro Felonia
habentur.

XV.

Committendo autem delinquit Vasallus, si feudum,
sine consensu Domini, alienet: siue hoc fiat ex causa ne-
cessitatis, siue sit recuperatum.

XVI.

Sed alienationis verbum hic latissime accipitur, &
complectitur non tantum venditionem, sed & donatio-
nem, in dotem dationem, solutionem, ad longum tempus
locationem, permutationem, legatum, in Emphyteusin
concessionem, & omnes omnino modos, quibus domi-
nium transfertur, & ius aliquod in re constituitur.

A 3

17. Quem

XVII.

Quemadmodum & oppignorationem, siue ea iam facta sit, vt possessio ad Creditorem, per eam transferatur, siue non.

XVIII.

Subinfeudatio tamen ex horum ordine eximitur, quam sine consensu Domini licitè Vasallus facit: dummodò sine fraude, in eiusdem qualitatis, & conditionis hominem, iisdemq; pactis & conditionibus ea fiat.

XIX.

Agnatis tamen huiusmodi Subinfeudatio nocere non potest: sed resolutio iure dantis, utiq; & ius acceptoris resoluitur. Idem in Domino statuendum: Eo enim inuito, Subinfeudatus postmodum retinere feudum non potest, etiamsi illi seruire, & feudum ab eodem recognoscere paratus sit.

XX.

Committendo quoq; Vasallus peccat, si Dominum assalierit, vel castrum eius oppugnauerit, siue Dominum ibi esse sciuerit, siue non: ceteroquin alienum castrum si oppugnauerit, vt Dominum ibi fuisse sciuerit, necesse est.

XXI.

Idem asseuerandum, si Dominum ecurbitauerit, aut cum eius Coniuge turpiter saltem luserit: quod tamen ad sermones impudicè agitados, extendere rigorosum admodum videtur. Illud verò, quod de Vxore Domini, idem & de filia, nepte, nuru, ac Sorore, in capillo, vt F. F. loquuntur, existente, & in domo Domini habitante, intelligitur.

XXII.

Sic amittitur feudum, si Vasallus Domino grauem & inhonestam iniuriam intulerit: si hostes Domini iuue-
rit

rit: Si feudum totum, vel partem, vel eius conditionem inficiatus fuerit.

XXIII.

Itemq; si feudo abusus fuerit, insigniter illud deterior reddendo: si credentiam, hoc est, secreta Domini, dolo malo, & animo nocendi reuelauerit, testimoniumq;, sua sponte, non coactus à iudice, contra Dominum dixerit.

XXIV.

Sine uenia tamen & permisso Prætoris, si eum in ius uocauerit, feudum non amittit: quod Germanis quoq; moribus est receptum, præiudicijsq; Camera Imperialis confirmatum.

XXV.

Quod de Vasallo est dictum, de Domino quoq;, propter naturam Correlatiuorum, regulariter affirmari debet: Domino ergo feloniam committente, proprietas feudi ad Vasallum haud immerito pertinebit.

XXVI.

Ceterum, si ob non petitam inuestituram, alienationemq;, sine consensu Domini, factam, feudum sit amissum, Domino illud aperitur, exclusis filijs & agnatis, siue feudum sit nouum, siue antiquum.

XXVII.

Quod tamen intelligimus, quamdiu delinquens est in uiuis: eo namq; mortuo, à Domino ad agnatum proximum rursus deuoluitur.

XXVIII.

Si ob alia delicta feudum amittatur, de filiis idem, quod antea nominatum est sentiendum, siue peccatum in Dominum sit admissum, siue in extraneum.

XXIX.

Agnatis autem feudum statim aperitur, si propter

delictum extraneam personam respiciens, illud sit amissum, quamvis delinquens etiamnum sit superstes.

XXX.

Nec distinguendum est, Agnati quarto gradu Vasallo sint coniuncti, an proximiori: semper enim, & indistincte eos admitti, vero satis superque est consentaneum.

XXXI.

Si in Dominum delictum sit commissum, delinquente Vasallo, usque adhuc viuo, feudum Dominus ipse retinet: eo vero defuncto, ad proximiorum Agnatum vicissim hoc peruenire æquissimum videtur.

XXXII.

Et licet Vasallus, quod vice **COROLLARIUM** subnectimus, prædictis, vel etiam similibus, aut grauioribus de causis, re feudali, ipso iure excidere videatur: attamen nihilominus, si feloniam non sit notoria, actuque, ut loquuntur DD. permanens, sententia declaratoria delicti, ac poenae, omnino necessaria est.

FINIS.



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle 3
002 392 011




TA → OL

VD17

Retrokonv.,







469

5
a

DISPUTATIO FEVDALIS
SEXTA.

1591
QVOMODO FEVDUM
EXTINGVATVR, ET AMITTATUR,
& ad quem, illud amissum, reuertatur.

IN QVA,

DEO TRINO ET VNO AVSPICE,

Subsequentes Conclusiones,

PRÆSIDE CLARISSIMO ET DOCTISSIMO DOMINO BENEDICTO CARPZOVIO. I. V. D. in Illustri Academia Vvitebergensi, ingenij exercendi gratia, pro virili defendere conabitur

ELIAS REINHART
SILESIVS.

M. D. XCI.



Ad 18. Septemb.